

Et continue projiciebatur intus cum tribus machinis, & interdum ballistabant se adinvicem. Tamen in illa obsidione nullus fuit mortuus, nisi unus de familia Domini Patriarchæ. Domino vero Patriarcha cum Forojuliensibus, & D. Conrado de Stumberch, existentibus in dicta obsidione, significatum fuit, quod D. Rizardus intrasset Forumjulii cum magno exercitu. Quo auditio, Dominus Patriarcha cum exercitu inde recessit, reportatis machinis in Civitatem prius, & omnibus quæ fuerant reportanda, die III. exeunte Februario: & tunc die sequenti ivit Utinum. Tunc illi de Zuccula combusserunt Tojanum, Rubignacum, & ubicumque potuerunt super Civitatenses: & roncaverunt braydas.... advocati de Liunis, Benedicti Stationarii, & Vuorli quondam Martini Zannulae, & aliorum plurium. Et versa vice Civitatenses roncaverunt braydam D. Pauli Boyani, Meynardi Meulæ, Jacobi de Budrio, & Jaconoti filii Bunini de Venzeno, qui stabant Zucculæ.

De destructione Curtinæ Sedelani.

Anno Domini M. CCC. IX. die XII. Martii, Nobiles Viri DD. Henricus Comes Goritiæ, & Rizardus de Camino cum quibusdam Castellanis, scilicet de Speynbergo, Prampergo, Cucanea, & Zuccula, obsederunt Curtinam de Sedelano: & cum pluribus machinis intus projiciebatur. Tandem ipsum habuerunt certis paëtis. Et ipsam deprædantes, quia multæ villæ ibi fugerant, turrim Ecclesiæ projecerunt ad terram, & Ecclesiam: & postea Cortinam combusserunt totam.

De destructione Castris Saciletti.

Anno prædicto, in Festo B. Marci præscripti anni, obsederunt Sacilettum: quo expugnato & capto die III. combusserunt; & turres & alias munitiones omnes projecerunt ad terram, Domino Patriarcha Utini existente.

De captione Castris S. Viti.

Item eodem anno, prædicti Domini obsederunt S. Vitum die III. exeunte Aprili, & cum multis machinis intus projiciebatur: & cum se manutenere non possent, die XI. Maii eundem locum D. Rizardo dederunt.

De morte D. Henrici de Prampergo.

Anno Domini M. CCC. IX. die prima Aprilis, stantibus DD. Henrico de Prampergo, & Valtero-pertoldo de Spengimbergo cum magno apparatu in destructione, & depopulatione ante Maniacum, & non existentibus illis armatis, subito fecerunt impetum in eos quidam Theotonici Soldonerii Domini Patriarchæ, scilicet illi de Parisio, & illi de Pinzano: & ex eis multos occiderunt. Et D. Valteruspertoldus, & Artuycus filius D. Henrici de Prampergo fugerunt in Castro Montrial. Et insuper capti fuerunt quamplures, inter quos captus fuit D. Henricus de Prampergo, & ductus Utinum ad Dominum Patriarcham. Qui cum confessus fuisset, multa mala fuisse tractata contra Dominum Patriarcham, amputatum fuit sibi caput in foro Utinensi die II. Aprilis: & sepultus apud Minores fine officio, & extra cæmeterium.

De recessu D. Ottoboni Patriarchæ, & ejus reditu.

Item prædicto anno, die XI. Maii, scilicet die Dominicæ, Rev. Pater D. Ottobonus, Dei gratia Patriarcha Aquileiensis, recessit de Utino... tan-

Tom. II.

tum cum suis circa Nonam: & fuit Aquil. quia significatum fuit sibi, multa mala fuisse tractata contra eum per Nobiles præscriptos; nec eum ibi bene esse securum.

Die vero XIV. prædicti Nobiles fecerunt Colloquium apud Arivas, in quo interfuerunt omnes de Forojulio: & die sequenti facta fuit quædam conspiratio inter eos, & juraverunt omnes insimul, facientes Vicedominum D. Varnerium de Cucanea; ordigantes ibidem, quod de bonis Aquileiensis Curiae satisfiat Domino Comiti de destructione Venzoni; & cum Civitatibus, qui erant extra Civitatem, de dejectione domorum, & quod deberent redire in Civitatem: qui redierunt in Civitatem die ultimo Maii. Et facta fuit concordia inter intrinsecos, & extrinsecos dicta die. De discordia habetur superior. Et prædicto die XV. Maii, venit Cognatus D. Henrici Comitis, & intravit villam Morteglanum cum magna gente nomine Babanich, ubi fecerunt multa mala. Cum autem Dominus Patriarcha cuncta prædicta intellexisset, qui erat Aquilegiæ, statim eodem die inde recessit: & fuit Placentiæ obviam Domino Legato venienti: & fuit Bononiae, & Ferrariae cum dicto Domino Legato pluribus diebus. Postea accepta ab eo licentia, venit Tervisium: & facta conventione cum D. Rizardo, venit Utinum die II. Octobris cum paucis de suis, Sed D. Odolricus de Cucanea associavit eum.

Locustæ fuerunt in partibus Histriæ, & Tulmæ cum magno damno, M. CCC. IX. de mense Junii.

Qualiter D. Rizardus succubuit in Utino.

Anno Domini M. CCC. IX. D. Rizardus de Camino venit Utinum II. die post Festum B. Martini cum magna multitudine equitum: & hospitabatur in Grazano. Et erant cum eo illi de Prata, de Porcillis, de Spengimbergo, de Cucanea, & alii Forojulienses quamplures, omnes Nobiles de Tervisio, & ejus districtu. Fuit autem in tractatu cum Domino Patriarcha pluribus diebus super pace reformata de discordia, quæ fuerat inter eos: & volebat, quod Dominus Patriarcha faceret eum Capitaneum Generalem in Forojulii. Et ipsis existentibus in tractatu, & non concordantibus, præfatus D. Rizardus die Dominicæ XV. exeunte Novembri, tractatu & inductu Magistri Nicolai filii Albinuti de Utino, qui habebat magnam partem in Utino ratione cuiusdam iuræ & conpiracionis factæ adinvicem, non dubitans quin haberet Terram; post prandium armata manu intravit Utinum per portam Grezani: sed gratia & auxilio Dei factum est, ut clausis omnibus portis, excepta illa Grezani, quam dictus Magister Nicolaus projectat in gurgite, timens quod acciderat, omnes converterentur in fugam. Et ibidem remanserunt mortui XIII. inter quos fuit interfactus D. Valteruspertoldus Miles de Spengimbergo: & alii fuerunt nobiles Milites D. Rizardi. Capti fuerunt ultra C. & quemcumque capiebat, quia suus erat. Et de ipsis captis habuit Dominus Patriarcha in magna quantitate; & redimebant se pecunia. Et fuit talis, qui redemit se mille Marchis: alii CC. Marchis, alii secundum suam possibilitatem; ita quod aliqui ex Utinensis ob hoc mirabiliter sunt ditati. Equi boni & magni remanserunt, inter læsos, & illæsos, ultra C. & L. Et quicumque aliquem capiebat, suus erat: & gratia Dei procurante, nullus ex Utinensis fuit læsus: sed quasi solummodo mulieres per cancellos, & rustici de villis fecerunt illam viatoriam.

i.

Tunc